



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Arnoldi Corvini à Belderent J. U. D. Jus Canonicum, Per  
Aphorismos Strictim Explicatum**

**Corvinus van Beldern, Arnold**

**Amstelodami, 1663**

Duellis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10591**

ex condicto convenire solent, & ad ostentationem vi-  
rium suarum & audaciæ, temere congregri. c. felicis. 1.  
hic.

Quæ hoc Iure, non Civili, l. solent. l. in quibus. ff. de  
aleator. sunt prohibita: adeò ut, si quis forte in iis sit inter-  
factus, non tantum occidens pœnâ homicidii voluntarii  
puniatur; sed & ocisus. licet enim vulnerato concedatur  
pœnitentia, tamen, si moriatur, Ecclesiasticâ sepulturâ ca-  
rebit: nisi casu sit occisus, cum non ludendi causâ ad tor-  
neamenta venerit. c. 1. & c. hic.

### De Duellis.

#### TIT. XV.

**D**VELLUM, est singulare certamen. Græco vocabulo  
monomachia vocatur: c. monomachiam. 2. qu. 4. c. 1.  
& 2. hic. ad veritatem occultam eruendam olim adhiberi  
solitum.

Hoc, Jure Canonico, prohibetur: d. c. monomachiam.  
& c. 1. 2. de purg. vul. quia multi per pugnam sine justa  
causa, causam suam perdiderunt: & quia Deus, quod fieri  
non debet, c. quare. 22. qu. 2. hâc pugnâtentatur. c. Men-  
nam. 2. qu. 5.

Clericus hoc per se, vel per alium, sponte offerens, vel  
oblatum, sponte, vel judice præcipiente, non invitus, sus-  
cipiens, punitur. c. itane. 32. qu. 5. c. ita faciat. 22. qu. 2.  
Excusat, si invitus, cum alias forsan evadere, vel res suas  
salvare non possit, suscipiat. c. interfecisti. de homicid. Innoc.  
in c. porro, si Clericus. 1. hic.

Pœna Clerici duellum sponte offerentis, vel oblatum  
suscipientis, irregularitas est, & depositio; nisi, morte vel  
membri mutilatione non secutâ, cum eo misericorditer dis-  
pensetur. d. c. 1. & 2. hic.

De

